
445

H


201

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

KW 445
H 201

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

445 H 201 ig.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

JURE ACCRESCENDI.

QUAM,

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. LUCÆ SCHACHT,
Philoſ. & Medic. Doct. hujuſque in Academia Lugd.-Batavâ Profeſſoris celeberrimi.

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis Juridicæ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis ritè & legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

OCKER BAAN, DORDRACO-BATAV.

A. D. 15 Februarii, horâ ac loco ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

Ampliſſimis, Conſultiſſimiſque Viris

D.D. CORNELIO BAAN, JC.
Curiæ Hollandiæ, Zeelandiæ, Friſiæque Senatori graviſſimo.

D.D. HUGONI BAAN, J.U.D.
Nuper Reip. Dordrechtanæ Theſaurario, nunc vero Curiæ Hollandiæ Auſtralis Præſidi.

Patruis ſuis ob innatas ipſis & in ſe collatas humanitates, parentum loco in æternum colendis.

NEC MINORI ANIMO

Nobiliſſimo, Graviſſimo, virtutum ſplendore ac honorum luce conſpicuo & Illuſtri Viro Domino,

D.D. HENRICO DRUYFF,
J.U.D. Supremi Senatus, qui eſt Hollandiæ, Zeelandiæ, Friſiæque Præſidi digniſſimo, propter immenſa in ſe familiamque ſuam collata beneficia, omni officio, & obſequio ad ultimum uſque halitum venerando,

Hanc diſputationem inauguralem ut & ſe ipſum eo quo, par eſt, animo

Offert, inſcribit ac dedicat

OCKER BAAN,

Auctor.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
JURE ACCRESCENDI.

CAPUT I.

De Definitione Juris accreſcendi.

§. 1. Ius Accreſcendi eſt *Jus retinendæ, vel nanciſcendæ partis ejus, qui non concurrit,* vel *concurrere deſiit.* Cuj. *in tractatu ad Afric. 5. ad l. 36. §. ult. ff. de uſufr.* & *in parat. de uſufr. accreſc.*

§. 2. Dicitur *Jus*: juris vocabulum in uſu Juris Civilis πολύσημον, eſſe notius eſt, quam ut demonſtrari debeat; aliquando *Jus* accipitur, pro poteſtate, & facultate jure civili datâ, & permiſſâ. Ut in definitione uſusfrnctus. *in princ. Inſt. de uſusfr. l. 1. ff. de uſufr.* in definitione itineris, actus, viæ; *Inſt. de ſerv. præd. ruſt. & Urban.* aliquando *Jus* accipitur, ut ſit quaſi vis, & neceſſitas quædam; quæ ſignificatio hujus loci propria eſt; ſi enim jus accreſcendi exemplo alluvionis latenter, ipſoque jure,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

etiam ſine facto hominis portiones vacantes ita adjicit, ut qui quæſitam habet, continuo cæteras habeat: *l. 35. l. 53. ff. de acquir. hæred.* certe jus accreſcendi debet definiri vis, & neceſſitas, quâ qui partem hæreditatis, aut rei legatæ agnovit, cæteras ejuſdem hæreditatis partes cogitur admittere. *§. ult. leg. alleg.*

§. 3. Additur *retinendæ partis ejus, qui non concurrit*; habito reſpectu ad disjunctos, ſeu re conjunctos; (re conjuncti enim in jure ſæpe disjuncti vocantur) quorum uno deficiente, alter, qui portionem ſuam agnovit, deficientis portionem potius dicitur retinere, quam novam portionem, ſuæ portioni accedentem acquirere: quia re conjuncti ab initio ſolidum accipiunt, & ſolidum retinent, quod defectu collegatarii non eſt diminutum; quod *Juſtinianus* jus non decreſcendi vocat. *l. unic.* §. 11. *Cod. de cad. toll.*

§. 4. Verba in definitione Cujacii, *nanciſcendæ partis ejus qui concurrere deſiit*, continent aliam differentiam, quæ eſt inter proprietatem, & uſumfructum ejuſdem rei duobus conjunctim relictum: nam jus accreſcendi in proprietate extinguitur, ubi primum legatarii concurrunt, juſque tranſmittendi ad hæredes ſunt nacti; ſed in uſufructu jus accreſcendi, dum vivunt legatarii, ſemper obtinet, ita ut uno moriente, uſusfructus cum proprietate non conſolidetur, ſed alteri conjuncto accreſcat. *l. 1. §. 3. ff. de uſufr. accreſc.* ubi & ratio redditur, quod proprietatis acquiſitio uno temporis puncto fiat, primoque acquirendi actu ita conſummetur, ut acquiſitor, poſtea mortuus, nullo modo deficere dici poſſit. At uſusfructus natura maxime in exercitio percipiendi fructus conſiſtit, ſemperque & quotidie conſtitui, & legari videtur, ut eſt *in d. l. 1. §. 3. ff. de uſufruct. accreſ.* unde uſusfructus, quocumque fructuarius tempore moriatur, reſpectu futuri adhuc deficere videtur; ac ita quocunque tempore non inveniet alter eum, qui ſibi concurrit, ſolus utetur in totum, ait *Ulpianus in d. l. 1. §. 3. ff. eod.*

C A-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

CAPUT II.

De rebus in quibus J. A. obtinet.

§. 1. Reperitur autem jus accreſcendi in hæreditatibus, legatis, fideicommiſſis etiam univerſalibus, & mortis cauſâ donationibus, de quibus eo, quo propoſuimus ordine, dicemus.

§. 2. Quod attinet jus hæreditatum, ſcilicet, quo ad teſtamentariarum nulla dubitatio eſt; quia *paterfamilias uti legaſſet ſuper pecuniâ, rebuſve ejus, ita jus erat*; nam & inter hæredes jus accreſcendi ex voluntate defuncti proficiſcitur, & mediante judicio teſtatoris defertur. *Barth.* ad legem 5. *ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* quia cenſetur ſciviſſe diſpoſitionem legis (ſcilicet paganum pro parte teſtatum & pro parte inteſtatum decedere non poſſe. *l.* 7. *ff. de R. J.*) atque ideo voluiſſe eam ſervare creditur; unde etiam jus accreſcendi dicitur tacita quædam ſubſtitutio *l.* 61. §. 1. *ff. de leg.* 2. *Mant. de conject. ult. voluntat. lib.* 4. *tit.* 12. *num.* 2. *&* 3.

§. 3. De Legitima vero ſucceſſione dubitari aliquando poſſet. Succeſſores legitimos hic vocamus, quibus ab inteſtato, & lege aliquâ defertur hæreditas. Quicumque enim eo modo ſuccedunt, ab inteſtato hæredes ſunt; & plerumque proximi agnati, quibus lege omne jus defuncti obvenit, ex quibus, ſi aliquis defecerit, poſſet inquiri, an deficientis pars obveniat jure ſucceſſionis, quia ſibi invicem ſuccedunt in hæreditatis partem, an jure accreſcendi; ſucceſſionis ideo facimus mentionem, quia deficientis portio cohæredibus obvenit, ſed an portionem occupent jure ſucceſſionis, an jure accreſcendi dubitatur, cum ipſum illud jus ſibi invicem conjunctis plerumque adſcribatur, quæ conjunctio nullo defuncti judicio probatur; quod tanti momenti non eſt, quin nodus ille facile extricari poſſit: Primo, quia Juriſconſulti eas partes plerumque accreſcentes vocant: Secundo, ipſe *Juſtinianus in l. unic. Cod. de cad. toll.* vult hæc obtinere *in teſtamentis ſcriptis, ſive ſine ſcriptis habitis, & in codicillis, & in omni ultimo elogio: ſive quid ab inteſtato relictum fuerit; ſive in mortis cauſâ donationibus*, &c. *in d. l. unic.* §. 14. *Cod. de cad. toll.* Hac igitur ratione nixi, credimus, defunctum nullo facto teſtamento, tacite ſuo judicio conjunctos eos voluiſſe, quos gradus æqualitas, & ſanguinis neceſſitudo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

conjunxit. *l.* 9. *ff. de ſuis & leg. hæred.* in quâ **Marcianus** verba *libri* 5. inſtitutionis referens: *ſi ex pluribus legitimis quidam omiſerint adire hæreditatem, vel morte, vel quâ aliâ ratione impediti fuerint, quo minus adeant, reliquis qui adierunt accreſcit eorum portio, & licet deceſſerint, antequam accreſceret, hoc jus ad eorum hæredes pertinet.* eoque ſpectant *leges* 1. §. 9. *ff. ad SCtum Tertullianum &* 61. §. 2. *ff. de leg.* 2.

§. 4. Neque minus ea quæ retulimus de legitimis hæredibus, poſſemus referre ad perſonas, quibus ab inteſtato jure prætorio hæreditas defertur *l.* 3. §. *ult. ff. de bon. poß.* veluti ſi plures liberi ſint emancipati, quibus jure prætorio bonorum poſſeſſio defertur; ex quibus ſi aliqui negligant, vel repudient bonorum poſſeſſionem, veluti ſi jus ſuum ſpreverint, vel tempore bonorum poſſeſſionis finito excluſi, aut mortui ſint, *l.* 4. *ff. de bon. poſſ.* antequam bonorum poſſeſſionem petierint, ei ſoli, qui portiones admiſit, illæ adcreſcunt: eoque ſpectat *Gordiani* conſtitutio *in l. unicâ Cod. quando non pet. part. accreſ.* idque ideo, ne ſit opus iterum Judicem adire, & portionem accreſcentem petere, cum ſufficiat poſſeſſionem ſemel agnoviſſe *l.* 6. *ff. de bon. poſſ. Duar. lib.* 1. *cap.* 14. *De jure accreſc.*

§. 5. Sed quia de extraordinario illo remedio, quod prætor liberis, vel parentibus conceſſit, dictum eſt *l.* 16. §. 1. *de inoff. teſt.* eâ occaſione in tranſitu monebimus, quod plerumque de extraordinario, & ultimo eo remedio affirmatur inofficioſi quærelâ an inter agentes de inofficioſo etiam obtineat J. A.? quam ſententiam affirmo, primo; quia ejuſcemodi caſibus voluntas defuncti ad caſum inteſtati recidit *l.* 6. §. 1. *ff. de inoff. teſt. l.* 8. §. 16. *l.* 17. *ff. eod.* adeo ſi ſint duo filii exhæredati, & ambo de inofficioſo teſtamento egerint, & unus [postea] conſtituerit non agere, quæritur cui ea portio accreſcat? Reſpondit **Paulus** *in l.* 23. § *ult. ff. de inoff. teſt. alteri accreſcere, quaſi ſcilicet ab inteſtato veniret l.* 28. *ff. eod. Swan. de jur. accreſ. cap* 8. quærela enim unius totum teſtamentum rumpit & Patremf. inteſtatum facit *l. ult. ff. eod.*

§. 6. Ex jam dictis naſcitur quæſtio multum agitata, an jus accreſcendi habeat locum in legitimâ parte filiis debitâ, quæ ſemis eſt, aut triens ſecundum numerum liberorum &c. *auth. de triente & ſemiſ.* Pone quinque filios eſſe, quorum unus vel deceſſit, vel repudiavit partem ſuam, an quatuor reliqui ſemiſſem integrum habebunt?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

bebunt? & probabilius eſt ceſſare hic jus accreſcendi; cum lex deferens hanc partem filiis ad numerum eorum reſpiciat *auth. de triente.*

§. 7. Sed quia jam dictum de perſonis omnibus, qui ad hæreditates vocantur ſive lege, ſive ex teſtamento, in quibus varie jus accreſcendi oſtendimus, hos tamen omiſimus, quibus vel empta, vel vendita eſt hæreditas, in quas hæreditaria jura tranſeunt omnia *l. 2. ff. de act. vel hæred. vend.* & in omnibus hæredis vicem ſuſtinent; nam emptor non minus juris habet, quam ipſe hæres, hinc quæri poteſt iterum, an hæreditate venditâ jus accreſcendi in emptorem hæreditatis tranſeat? ponamus L. Titium hæredem ſcriptum eſſe ex triente, aut hæreditatem legitimam pro triente L. Titio delatam, eumque hanc ſuam hæreditatis partem vendidiſſe Gajo, quæritur, ſi cohæredes L. Titii portionem ſuam repudiaverint, aut alias defecerint, portio defecta ad L. Titium pertineat jure accreſcendi, an ad Gajum emptorem hæreditatis L. Titio pro parte tertiâ delatæ, & ab ipſo venditæ. In quâ materiâ, quamvis variæ ſint D. D. opiniones, neque deſint affirmantibus ſua argumenta, nos tamen negantium caſtra ſequentes hoc defendimus: emptâ hæreditate jus accreſcendi in emptorem non tranſire, hoc præcipue moti argumento, quod pars deficiens nequeat emptori accreſcere, aut ex lege, legem autem ita conſtituentem non habemus; aut ex voluntate defuncti teſtatoris; hoc enim veriſimile non eſt; quia is forte emptorem hæreditatis non noverat, nec ei proſpectum voluit, ſed hæredibus ſuis; cui enim teſtator nihil dedit aut dare voluit, ei nihil dandum eſt, *l. 63. §. 7. l. 59. in fine princ. ff. ad SCtum Treb.* at hoc jam poſito, portiones deficientium hæredum non emptori hæreditatis, ſed hæredi, qui ſuam portionem agnovit, & vendidit accreſcere, amplius adhuc quæri poteſt, an non ſaltem hæres idemque venditor, quod ei poſteâ accrevit, emptori, actione exempto teneatur reſtituere? Hæc enim inter ſe non pugnant non accreſcere emptori, & nihilominus, quod venditori accrevit, emptorem ex contractu poſſe petere, ſic enim licet actiones directæ penes venditorem maneant. *l. 2. Cod. de hæred. vel act. vend.* quicquid tamen exegit venditor, id emptori debet reſtituere *l. 2. § 18. ff. eod.* & cum quaſi per averſionem jus omne quod hæres habet, venditum videatur, quo commoda, & incommoda con-

tinen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

tinentur, non omnino ſine ratione colligat aliquis etiam jus accreſcendi eâ venditione comprehenſum. Denique cum emptor ſuſtineat periculum nominum hæreditariorum, non inique ſibi viciſſim aſſerere videtur lucrum accretionis. Cæterum licet hæc ita diſputari poſſint, ego tamen iis aſſentior, qui ne illud quidem emptori hæreditatis concedendum putant, ut commodum, quod occaſione juris accreſcendi ad hæreditatem poſtea pervenit, ei extorqueri poſſit: Etenim cardo totius hujus quæſtionis in eo potiſſimum vertitur; an hoc inter contrahentes actum intelligi debeat, ut etiam commodum accretionis ad emptorem tranſiret; utique enim ſi hoc actum non ſit, non tranſibit, *l. 2. § 1. ff. de hæred. vel act. vend. cum actus agentium non extendatur ultra eorum intentionem l. 19. ff. de reb. cred. l. 34. ff. de reg. jur.* Jam verò non eſt credibile de eo cogitatum aut inter contrahentes actum eſſe, quod an ad venditorem perventurum aliquando eſſet, & venditor, & emptor ignorabant: ſed non niſi pars jam actu quæſita vendita cenſeri debet, nec alia quam illa ipſa & ſola, ex quâ hæres inſtitutus venditor fuit, & quam aditione acquiſivit: id inquam ſolum, quod tempore venditionis jam hæredi competebat; ut & diſerte reſponſum eſt *in l. 2. §. 1. ff. de hæred. vel action. vend.* nam *caſum adverſamque fortunam ſpectare hominis liberi, neque civile, neque naturale eſt. l. 83. § 5. paulo poſt medium ff de verb. oblig.* Et quæſo cum pretium rei venditæ æquâ proportione conſtitui ſoleat *l. 63. ff. ad leg. falc.* an non abſurdum eſt, & iniquum videri debet, ſi hæres ſextante, aut quadrante, ex quo inſtitutus eſt, vendito, idque pretio valori rei ἀναλόγῳ, ſive proportione reſpondenti, cogeretur partem longe majorem, & forte triplo, aut quadruplo accreſcentem poſtea ad emptorem transferre? Illa autem quæ paſſim *in d. leg 2. ff. de hæred. vel action. vend.* occurrunt, quod venditum intelligatur jus omne hæredis, quod ad emptorem tranſeat, quantum penes venditorem eſt, vel quandoque ad eum perventurum eſt; quod emptor vicem hæredis obtinet, accipienda ſunt de parte ipſâ venditâ, de quâ ſolâ inter contrahentes actum eſt. vide *Cujac. lib. 12. obſ. 12. & 13. Gomes 1. variar. reſol.* T. 10. N. 44. *Fachi 5. cont. cap. ult. Bacch. in Treutler. diſp. 28. Theſi 12. lit. A. Swan. de jur. acc. cap. 8. Böckelm. in Comment. ad ff. ad tit. de hæred. vel act. vend.*

§. 8. Habet & jus accreſcendi locum in legatis, & quidem ex

merâ

merâ voluntate teſtatoris; quæ colligitur ex factâ conjunctione, quando itaque teſtator eandem rem ſive ſpeciem, eodem teſtamento duobus, vel pluribus conjunctim, vel disjunctim legavit, & unus collegatariorum deficit, hoc jus ſibi locum vindicat § 8. *Inſt. de leg. & aliis ſup. alleg.*

§. 9. Valet idem jus in fideicommiſſis & quidem etiam univerſalibus: nam *Imperator* in *leg. unicâ. §. pen. Cod. de cad. toll.* cum antea in eâdem lege de jure accreſcendi diſpoſitum erat, juſſit in eo § obtinere hæc omnia in omni ultimo elogio; hinc conjicimus fideicommiſſa nullo modo excludenda.

§. 10. Quod vero obtineat in donationibus mortis cauſâ, mirum non eſt, cum & illis plures conjungi poſſunt, & legatis comparentur, quo ad effectum *l. ult. Cod. de mort. cauſ. don.* quod etiam expreſſe diſponit *lex unic. Cod. de cad. toll.* cum ait jus accreſcendi locum habere in omni ultimo elogio, etiam in mortis cauſâ donationibus.

§. 11. Neque minus adſcribimus jus accreſcendi uſufructui, quam legatis, ſcilicet habitâ conjunctorum ratione hâc tamen cum differentiâ, quod in legatis diviſâ proprietate concurſu conjunctorum omne jus accreſcendi extinguatur, nec reviviſcat, parte forte per alterum amiſſâ: in uſufructu vero hoc amplius eſt, ut etiam facta diviſione, per concurſum poſtea deficiens pars alteri accreſcat *l.* 1. § 3. *de uſuf. accreſc.* de quâ fuſius § 1. egimus.

§. 12. His igitur enarratis variis ſpeciebus, in quibus obtinere jus accreſcendi poſſet, tandem proponendæ eſſent exceptiones quondam a D. D. obſervatæ, in quibus hoc jus non obtinet, vel propter voluntatem teſtatoris, vel rationem aliam, quæ in unaquâque ſpecie perſpici poſſit; hujuſcemodi eſt, quod ſcribit *Papinianus in l.* 57. § 1. *ff. de uſuf.* per fideicommiſſum fructu prædiorum ob alimenta libertis relicto, partium emolumentum ex perſonâ decedentium ad proprietatis dominum recurrere, ideo enim ceſſat jus accreſcendi, quia cum teſtator alimenta legaverit, videtur voluiſſe, ne ultra modum alimentorum quicquam habeant ſinguli legatarii; unde illud vulgare, legatum alimentorum non iterari, neque multiplicari. *l.* 16. § 2. *ff. de alim. leg.* nimirum quemadmodum in agris limitatis ceſſat jus alluvionis *l.* 16. *ff. de acq. rer. dom.* quod comparatur cum jure accreſcendi *l.* 33. *in fine. ff. de*

 uſuf.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

uſuf. ita in uſufructu limitato ad finem alimentorum jus accreſcendi ceſſare placuit: ut recte **Cuj.**

§. 13. Exſtat etiam & alia exceptio, ſcilicet contractus, qui plerumque judicatur ſecundum formam, quâ initus eſt, quo facit reſponſum *Pomponii in l. 110. ff. de verb. oblig.* ſi mihi & Titio, in cujus poteſtate non ſum, decem ſtipuler, non tota decem, ſed ſola quinque mihi debentur, pars enim aliena deducitur, ut quod extraneo inutiliter ſtipulatus ſum, non augeat partem meam, ratio eſt, quia *alteri per alterum jure civili non acquiritur l. 38 § 17. ff. de verb. oblig. §. 18. Inſt. de inut. ſtip.* ideoque eam ſententiam confirmat *Julianus l. 37. § 3. ff de acq rer. dom.* & *Paulus l. 13. ff. de jurejur.* Hinc affirmamus ſtipulationem quoad extraneum adjectam pro ſupervacuo eſſe: ſed hoc diſtinguimus, ſi res diviſionem non patiatur, uni totam cedere *l. 5. ff. comm. præd. l. 64. ff. de cont. empt.* ubi fundus mihi & Titio emptus proponitur, in quâ pars ejus non accreſcit alteri jure accreſcendi, ſed propter intereſſe venditoris, vel ne Titius invitus in communionem incidat: neque ipſe *Juſtinianus* ex profeſſo de jure accreſcendi tractaturus *l. unic. Cod. de cad. toll.* ullibi mentionem facit contractuum, ſed locum habere vult *in teſtamentis ſive ſcriptis, ſive nuncupativis, in codicillis, in omni ultimo elogio, ſive quid ab inteſtato fuerit derelictum, nec non in mortis cauſâ donationibus,* de quibus in *§. 14. ejuſd. legis.* Hinc conſtat contractibus jus accreſcendi adſcribi non poſſe, niſi pacto aliter conventum ſit. *arg l. 23. ff. de reg. jur. l. 1. §. 6. ff. depoſiti.* Sufficiat hæc itaque de rebus dixiſſe.

CAPUT III.

De conjunctis.

§. 1. Cum deficientis portio tantum conjunctis ſive hæredibus, ſive legatariis &c. accreſcat, videndum primo, quinam & quotuplices ſint conjuncti, deinde quando illi in jure noſtro dicantur deficere, conjuncti illi dicuntur, qui *ad eandem rem,* id eſt, *hæreditatem, vel legatum* &c. (nam quoties quis ex re certâ inſtituitur, legatarii loco eſt *l. 13. Cod. de hered. Inſt.*) *eodem teſtamento vocantur l. 80. ff. de leg. 3.* &ideo *ad eandem rem* eos vocari voluimus; quia

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

non ſunt conjuncti hi, quibus res ſingulæ conjunctim legantur: puta Stichum Titio, & Pamphilum Mævio do, lego: inter eos enim ceſſat jus accreſcendi, quia in eandem rem non concurrunt, & non ſola orationis, ſed & rei conjunctio ad eandem rem conjunctos facit. *l.* 84. *§.* 12. *ff. de leg.* 1.

§. 2. Sic quoque conjuncti non ſunt quibus ejuſdem rei uſusfructus ita relinquitur, ut alternis annis fruantur: nam cum proprio quiſque tempore integrum uſumfructum habeat, non videntur in eandem concurrere, neque eadem res legata communiter, ſed ſingulæ res diverſæ relictæ intelliguntur; ideoque ceſſante conjunctione, ceſſat quoque jus accreſcendi *l.* 2. *§.* 1. *ff. quib. mod. uſusf. amitt.*

§. 3 Ceſſat præterea, ſi Titio anteriorem fundi partem, Mævio poſteriorem legaverit teſtator: nam teſtator hoc modo legando intelligitur fundum diviſiſſe, & ex uno duos feciſſe. *l.* 6. *§.* 1. *verſ. plane ff. comm. præd.* ut & ſi manifeſtum ſit teſtatorem voluiſſe, ut uterque ſolidum acciperet, quia uni pretium, alteri ipſum fundum aſſignavit *l.* 33. *ff de leg.* 1.

§. 4 Pari modo fideicommiſſario non datur jus accreſcendi, ſi cohæres fiduciarii defecerit; & tantum abeſt, ut illi accreſcat, ut ne quidem debeatur vel competat ex causâ fideicommiſſi, cum illi tantum ſit relictum fideicommiſſum certæ partis pro tempore mortis: unde ille contentus eſſe debet, & quod accedit, id hæredi cedit; ſi tamen hæres ſuâ ſponte adierit, ne plus habeat fideicommiſſarius, quam eum habere teſtator voluerit: ſunt enim hæredi ſponte adeunti falcidia, & cætera omnia ſalva, non etiam compulſo adire, qui, quantum in ſe fuit, irritam fecit voluntatem defuncti, & indignum ſe reddidit, qui ex voluntate defuncti, vel ejus occaſione quippiam ut hæres conſequatur; ideoque omne relictum perdit, nec aliud habet, quam habuiſſet, ſi hæreditatem non adiviſſet, ut portio deficiens ſequatur ipſum fideicommiſſarium. *l.* 43. *ff. ad SCtum Trebell.* *l.* 6. *ff. de bon. poſſ l. pen. ff. de uſuf. accreſ* *l.* 53. *§.* 2. *ff. de leg.* 1. *arg. l.* 22. *ff. de except. rei judic.* eſt & indignus hæreditate, qui tacitam fidem interpoſuit, ſe incapaci hæreditatem reſtituturum, ut nec illi pars vacans accreſcat, qui portionem, ſeu rem habere non videatur *l.* 83. *ff. de acq. hæred.*

§. 5. Dico *rem*, id eſt, ſpeciem certam, aut jus, non quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

titatem; nam ſi quantitas pecuniæ duobus conjunctim legata ſit, non videntur eſſe conjuncti, neque pars unius deficiens alteri accreſcit *l. 7. ff. de leg* 2. neque enim ulla conjunctio eſt, quia eadem ſumma pluribus adſcripta enumeratione perſonarum cenſetur eſſe diviſa *l. 56. ff. de cond. & demonſt.* Et multo minor conjunctio videtur eſſe in eo caſu, quo teſtator alteri uſumfructum fundi, alteri proprietatem legaverit. *l. 19. ff. de uſuf. leg.*

§. 6. Præterea dixi conjunctos eſſe, qui *eodem teſtamento* vocantur, nam ſi duorum teſtamentis eadem res pluribus legata ſit, neque conjuncti videri poſſunt, neque jus accreſcendi contingit *l. 16 ff. quib. mod. uſuſ. amitt.* quippe ad diverſas res vocantur; neque concurſu partes faciunt; ſed unus rem, alter æſtimationem conſequetur. Obſervandum tamen hic eſt, patris, & filii teſtamentum non pro diverſis, ſed pro uno, & eodem teſtamento in hoc argumento haberi, ſicut & in pleriſque aliis *l. 20. ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* Hinc eſt, quod cum primis tabulis ſeu patris teſtamento Titio fundus Sempronianus legatus ſit, & ſecundis tabulis, id eſt, filii teſtamento idem fundus Mævio, Titius & Mævius concurſu partes habeant, & alter ad alterius deficientem portionem admittatur *l. 41. §. 6. ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* & ibidem *Gothofredus. l. 34. §. 10. ff. de leg.* 1. *l. 2. §. 4. ff. de vulg. & pupill. ſubſt.*

§. 7. Sed non ſufficit, ſi unus idemque teſtator pluribus eandem rem ex eâdem cauſâ relinquat, ſed neceſſe præterea eſt, ut ab *iiſdem perſonis* relinquat, nam ſi â diverſis hæredibus eandem rem reliquerit, perinde erit, atque ſi diverſis teſtamentis eadem res relicta eſſet. *l. 53. §. 2. ff de leg.* 1. & conſequenter non videntur ad eandem rem vocati, ſed ad diverſam: mutatio enim perſonarum, cum quibus ſingulis ſuo nomine agitur, aliam, atque aliam rem facit. *l. 22. ff. de except. rei jud.* unde fit ut inter eos jus accreſcendi non ſit. *l. pen. ff. de uſuf. accreſc.*

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

CAPUT IV.

De diviſione Conjunctorum.

§. 1. Triplici autem modo in jure noſtro conjuncti inveniuntur, nam Paulus JCtus libro ſexto ad legem Juliam & Papiam de conjunctis agens, dividit perſonas in jure accreſcendi verſantes, in conjunctos, disjunctos, & ſeparatim poſitos, *l.* 53. *ff. de verb. ſign.* duas præcedentes diviſiones ad realem conjunctionem revocans, tertiam vero ad verbalem, ut apparet ex *leg.* 1. *& l.* 11. *ff. de uſuf. accreſc.* ex quibus tacite conjicimus triplicem in *lege* 142. propoſitam diviſionem recte à DD. acceptam: conjunctionem aliam eſſe *realem*, aliam *verbalem*, aliam *mixtam l.* 142. *ff. de verb. ſign. l.* 89. *ff. de leg.* 3. *l. unic.* §. 10. *&* 11. *Cod. de cad. toll.*

§. 2. *Re* fit, quando plures in eâdem re conjuncti ſunt, ſine verbo copulante, ut: Titium fundum Tuſculanum do, lego, Mævio eundem fundum do, lego, vel Titius hæres eſto, Mævius hæres eſto.

§. 3. *Verbis* fit, cum plures quidem in eâdem re conjuncti ſunt expreſſo verbo copulante, ſed tamen cum clauſulâ illâ *æquis partibus*: quæ licet disjungere videatur, tamen revera non disjungit: ut Titio & Mævio fundum Tuſculanum æquis partibus do, lego; vel Titius, & Mævius ex æquis partibus hæredes ſunto; quando autem teſtator dicit: Titio dimidiam fundi Tuſculani do, lego, Mævio dimidam partem fundi Tuſculani do, lego, non ſunt conjuncti, ſed disjuncti, inter quos jus accreſcendi locum non habet.

§. 4. *Re & verbis ſimul* fit, cum & in eâdem re, & expreſſo verbo copulante ita fit conjunctio, ut nihil ſit quod disjungere videatur; ut Titio & Mævio fundum Tuſculanum do, lego; adeo ut eos & rei & nominum complexis jungat; exempla hujus conjunctionis varia apud Paulum leguntur *l.* 142. *ff. de verb. ſign.* Titius & Mævius hæredes ſunto; vel ita: Titius, Mæviuſque, Titius cum Mævio &c. hæres eſto, quæ conjunctio videtur requirere articulos quoſdam, *&*, *que*, *cum &c. l.* 7. *ff. de uſuf. accreſ. l.* 36. §. 2. *ff. de leg.* 1. quos tamen ſi detrahas, conjunctos nihilominus accipi oportet; de quâ *in leg ſup. all.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

CAPUT. V.

De perſonis deficientibus.

§. 1. Antequam explicetur circa quos conjunctos jus accreſcendi verſetur, prius deſpiciendum eſt, quinam dicantur in jure noſtro *deficere*: etenim jus accreſcendi locum habere non poteſt, niſi unus eorum deficiat; nam ſi omnes ad hæreditatem vel legatum perveniunt, partes fiunt ex quâdam neceſſitate, in quantum duo, pluresve concurrentes ad eandem rem, nequeunt ſinguli totam capere per rerum naturam §. 8. *Inſtit. de leg. l. unic. Cod. §. 11. de cad. toll.*

§. 2. Dicitur autem hæres vel legatarius *deficere*, vel ſtatim ab initio faciendi teſtamenti temporis; ut ſi ei relictum fuerit, qui in rerum naturâ tunc temporis, cum condebantur ultima elogia, non fuerat, forte hoc ignorantibus teſtatoribus, ea pro non ſcriptis eſſe leges exiſtimabant *l. unc. §. 2. Cod. de cad. toll.* vel poſt factum teſtamentum, vivo adhuc teſtatore, morte ſcilicet hæredis, vel legatarii, vel defectu conditionis, quod *Veteres* appellabant in cauſa caduci *d. l. unic. §. 2 Cod. de cad. toll.* vel mortuo teſtatore, ut ſi cohæres, vel collegatarius, qui in eâ cauſâ extitit, ut capere poſſet, hæreditatem vel legatum repudiavit, vel morte, vel quâ aliâ ratione impeditus eſt, quo minus adiret, quod proprio nomine caducum nuncupabatur: ſed juri antiquo derogavit *Juſtinianus* conſtitutione illa de caducis tollendis, & voluit, quocumqne modo deficiat pars rei legatæ, etiamſi pro non ſcriptâ ſit, juxta regulam Juris accreſcendi, eam accreſcere collegatario, qui ſuas partes agnovit *l. 9. ff. de ſuis & legit. hæred. l. 3. §. ult. l. 4. & 5. ff de bon. poſſ. l. un §. 3. Cod. de cad. toll.* nec reperitur quicquam exceptum conſtitutione, præter ea, quæ ut indignis auferuntur, quæ ſicut olim, ita hodierno jure ad fiſcum pertinent: intacta enim ea Jura *Juſtinianus* remanere voluit. *d l. unic. princ. & §. 1. & §. 4. Cod. de cad. toll. Donell. lib. 7. comm. cap. 12. Duar. lib. 1. cap. 18. de jur. accreſ. Gom. de jur. accreſ. Mynſ. ad §. 8. Inſt. de leg. num. 13. 14. & ſequentibus.* atque hæc de partis defectu.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

CAPUT VI.

De conjunctis Perſonis inter quas J. A. ſibi locum vindicat.

§. 1. Factâ igitur mentione conjunctorum, & triplicis eorum diffirentiæ, oportet nunc etiam exponere quibus ex illis conjunctis competat jus accreſcendi; & inter *re conjunctos tantum*, & *re & verbis ſimul conjunctos* eſſe jus accreſcendi, extra omnem controverſiam eſt, & in eo omnes D. D. conveniunt. vide *leg* 142. *ff. de verb. ſign. l.* 5. *in fin. ff. de reb. dub l.* 3. *ff. de uſuf. accreſc.* §. 8. *Inſt. de leg. l. un.* §. 11. *Cod. de cad. toll: l.* 6. §. *ult. l.* 7. *ff. de uſuf. l.* 89. *ff. de leg.* 3. quare nihil de iis in hâc diſputatione diſſerere in animum induxi: verum cum de verbis conjunctis major, & admodum anceps controverſia eſt, nobilem hanc materiam, quæ tot interpretes exercuit, paulo fuſius explicare libet. Et quidem dubitandi cauſa eſt in legatis, nam hæreditatibus nulla eſt: ſi hæredes enim ita conjuncti ſunt, Titius & Sempronius ex æquis partibus hæredes ſunto, certum eſt, quod pars non capientis capienti accreſcat. *l.* 66. *ff. de hæred. Inſt.* & hoc neceſſario propter voluntatem teſtatoris, qui noluit pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus mori; in dubio enim teſtator nihil aliud videtur velle, quam quod leges jubent *arg. l.* 55. *ff. de leg.* 1.

§. 2. In legatis vero, cum teſtator Titio, & Sempronio fundum æquis partibus legat, ratio eſt dubitandi, quare etiam multum de eo inter auctores agitatum fuit, quod ab utrâque parte cum graviſſimos ſuos habeat defenſores, quos ſingulos ſequi nemo poſſet, eorum tamen opinionem amplectimur, qui judicant & verbis conjunctis J. A. competere; quod manifeſte patet. I. *ex lege* 142. *ff de verb ſign. l.* 89. *ff. de leg.* 3. in quibus, *verbis tantum conjuncti*, conjuncti dicuntur: accedit quod *conjuncti propter unitatem ſermonis in l. unic. Cod. de caduc. toll.* tam arcto vinculo conjuncti dicantur, ut ſint, quaſi in unum corpus redacti; nullus autem alius conjunctionis effectus in hâc materiâ in quâ conjuncti appellantur dari poteſt, quam jus accreſcendi *l. unic.* § 10. *verſ. ſi vero* §. 11. *Cod. de cad. toll.* II. *l.* 16. §. *ult. ff. de leg.* 1. ubi

ſi

ſi Titio, & poſthumo aliquid etiam pro virilibus portionibus legatum ſit, poſthumo non nato Titio ſolidum deberi dicitur. III. *l. 66. ff. de hæred. Inſt.* ubi cum ideo negetur dari J. A. quod teſtator non conjungere, ſed celerius loqui dicatur, efficitur à contrario ſenſu, ſi conjungere voluerit, dari J. A. Et in dubio ita interpretanda exiſtimo verba Teſtatoris, ut legatarios potius videatur conjunxiſſe, quam compendium orationis quæſiviſſe, ſeu brevitatis tantum cauſà ita locutus; quod etiam Cujacius, qui tamen J. A. in hâc conjunctione non admittit, largitur ad *legem 16. ff. de leg* 1. Poſtremo evincitur ex eo, quod *verbis conjunctus* etiam potior dicitur eſſe in hoc jure, quam is, qui re tantum conjunctus eſt *l. 89. ff. de leg.* 3. quod nulla ratione conſiſtere poſſet, ſi verbis conjunctus tantum quo ad effectum juris accreſcendi, pro disjuncto, & pro eo, cui ab initio pars data eſſet, haberetur.

§. 3. Qui negantium caſtra ſequuntur primo objiciunt, quod in his, quibus quid conjunctim legatur, Juſtinianus ſolum utitur exemplo re & verbis conjunctorum, nullâ factâ mentione verbis conjunctorum ut *in §. 8. Inſt. de leg. l. unic §. 10, & 11. Cod. de cad. toll.* ſed huic argumento reſpondeo. 1. Exempla non reſtringere regulam. 2. Quod uni loco deeſt, ſupplendum eſſe ex alio. 3. Nullam in his locis conjunctorum inter ſe oppoſitionem, ſed conjunctorum, id eſt, eorum omnium, quibus res eadem legatur unâ oratione, & disjunctorum, quibus quid legatur orationibus diverſis; ut licet in exemplo propoſito *in §. 8. Inſt. de leg.* Titius, & Sejus ſint re, & verbis conjuncti, tamen ut tales hic non conſiderentur, ſed ut conjuncti ſimpliciter.

§. 4. II. Afferunt *l. 1. in princ. & l. 5. in princ. ff. de uſuf. accreſ.* ex quibus ſic argumentantur: qui *verbis tantum conjuncti*, re non ſunt conjuncti; at vero jus accreſcendi tantum eſt inter eos, qui in eâdem re conjuncti ſunt, non vero qui partes habent ab initio: ſed Reſpondeo; imo verbalis conjunctio in ſe continet realem: cui non obſtat, quod dicuntur non re, ſed verbis conjuncti; *l. 89. ff. de leg* 3. nam non dicuntur ideo *verbis tantum conjuncti*, & conjuncti *verbis, non re*, quia vere verbis tantum conjuncti ſunt, re plane disjuncti; ſed quia tales videntur in comparatione re & verbis ſimul conjunctorum, inſpectâ formâ, & conceptione verborum, quæ ſola hæc genera ſeparat.

§. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

§. 5. III. Opponunt non eſſe realem conjunctionem, & per conſequens non eſſe J. A. niſi inter eos, qui ſolidum ex judicio teſtatoris habent, verbis autem conjunctos non ſolidum, ſed partes habere, eaſque expreſſas verbis teſtatoris; ut proinde & partes ab initio facere *l. 34. §. 9. ff. de leg. 1.* & partes ſemper habere dicantur *l. 89. ff. de leg. 3.* ſed his non obſtantibus verius exiſtimo, verbis conjunctos, quos hic vocamus, etiam re conjunctos eſſe; etenim qui ſic legat; Titio, & Sejo fundum æquis partibus do, lego, is utique utrumque conjungit in eâdem re, dum ſimul & ſemel eundem fundum ambobus legat: nec mutat hanc conjunctionem partium æqualium expreſſio: nam etſi hæ partes non exprimuntur, tacite tamen ſignificantur enumeratione perſonarum *l. 56. ff. de cond. & demonſt.* quæ autem non expreſſa intelliguntur tamen, ſi exprimantur pro ſupervacuis habentur *l 69. ff de hæred. Inſt.* ac proinde quod expreſſe partium in hâc conjunctione teſtator meminit, ex mente ejus ſic à Prudentibus acceptum eſt, non, quod (*verbi gratiâ*) ita conjunctis, Simpliciter velit ſingulas partes adſcriptas, atque in omnem eventum habere, etiamſi non concurrant; ſed quod ſciret, ſi ambo concurrerent, quod & futurum ſperavit, ſingulos totum habere non poſſe iſtis verbis demonſtrare, voluerit, quid in hunc eventum ſinguli habituri eſſent. at ſi unus deficiat etiam in verbali conjunctione, ſic mentem teſtatoris acceptam, quaſi in hunc caſum alterum ſolidum habere voluerit, nec ob aliam cauſam ad eandem rem utrumque vocaverit, quam quod eam rem vel alterum eorum magis habere voluit, quam hæredem ſuum.

§. 6. Vehementer urgent *l. 11. ff. de uſuf. acc.* ſed reſp. quod in *lege 11. dicitur de æquis porttionibus* id accipiendum eſſe non de portionibus rei, cujus uſusfructus eſt relictus, ſed portionibus ſingulorum hæredum, à quibus relictus eſt, quam interpretationem & initium *d. legis 11.* juvat, & plane confirmat ratio reddita *ab Ulpiano in fragmento ſequenti.*

§. 7. Denique his legibus ſuam ſententiam confirmari putant, ſcilicet *l. 7. ff. de leg. 2. l. 16. princ. l. 34. §. 9. ff. de leg. 1.* Reſp. continere hæc loca veſtigia juris veteris de legato damnationis, in quo ſingulis ab initio partes fieri cenſebantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

CAPUT VII.

Uter utri conjunctorum in jure acceſcendi præferatur.

§. 1. Cum omnes hæredes, aut legatarii eodem modo conjuncti ſunt, conſtat eos ad partem vacantem prohæreditariâ parte, vel pro portione legati vocari *l. 59. §. 3. ff. de hæred. Inſt. l. 41. ff. de leg. 2.* juxta quam legem intelligendus eſt *§. 8. leg. unic. Cod. de cad. toll.* qui alioquin juris rationi contrarius eſt.

§. 2. Quod ſi diverſi generis plures conjuncti concurrant in eandem rem, uter utri præferatur quæſtionis eſt? & certe hoc præcipue definitum videtur à *Paulo* JCto. in *leg. 89. ff. de leg. 3.* ſcilicet, ut qui *re*, & *verbis* conjuncti ſunt, cæteris præferantur, & ſoli ad partem, quæ ceſſat, admittantur, at *re* tantum conjuncti aliis potiores non ſunt, quia nihil habent, quod non ſit illis commune cum cæteris; nam niſi alii ad eandem rem vocarentur, conjuncti non eſſent; qui autem verbis tantum conjuncti ſunt, hi perinde, atque utroque modo conjuncti cæteris potiores ſunt, quia inquit Juſtinianus, unitate ſermonis in unum quodammodo corpus redacti videntur *d. l. unic. §. 10. Cod. de cad. toll.* quare conſentaneum eſt, ut pars deficiens illius corporis, & quaſi ab eo avulſa eodem redeat, quod exemplo oſtendemus: finge ita eſſe legatum: primo & ſecundo fundum Tuſculanum do, lego; eundem fundum tertio do, lego; eundem fundum quarto do, lego; quinto & ſexto eundem fundum æquis partibus do, lego; in hâc enim ſpecie ſi deficiat primus, aut ſecundus, partem ejus excluſis cæteris, ſolus primus, vel ſecundus occupabit; quo ſi deficiat Tertius, quartus, qui ei conjunctus eſt, non ſolus, ſed cum eo ſimul omnes admittentur; denique ſi deficiat quintus, qui tantum verbis ei eſt conjunctus, excludet cæteros; præfertur autem nimirum omnibus, quia cæteri deficienti non ſunt conjuncti oratione, ut ſunt, qui *verbis* tantum conjuncti ſunt.

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

CAPUT VIII.

De perſonis minus conjunctis.

§. 1. Hactenus toti fuimus in enumerandis rebus, & perſonis, quæ gaudent jure accreſcendi propter conjunctionem, nunc igitur ad perſonas tranſeamus, quibus præter eam conjunctionem jus accreſcendi competat, vel in quibus conjunctis, licet realibus, non obtineat. Speciem igitur quandam relaturi exordimur à *l.*4. *Cod. ad SCtum Tert.* ubi mulier ad ſecundas nuptias intra tempus luctus tranſiens, cogitur facultatum omnium, quæ fuerunt tempore nuptiarum, medietatem filio, vel filiæ, filiis ſeu filiabus, quos habebat ex viro priore ſuſceptos, donare: quem quidem ſemiſſem, ſi duobus, vel pluribus filiis ſeu filiabus, donaverit, & ſorte fatali, unus vel una, ſeu alius vel alia ex iiſdem inteſtatus, vel inteſtata deceſſerit; ſemper ad ſuperſtites fratres, vel ſorores pertinere volunt *Imperatores*, *Gratian. Valent.* & *Theod.* quorum hæc conſtitutio eſt.

§. 2. Nec minor eſt relata ſpecies *Juliani* in *lege* 24. *ff. de bon. libert.* communi liberto, ſi ex duobus patronis alter jusjurandum exegerit, ne uxorem ducat, ſive vivo liberto deceſſerit, is qui extra hanc culpam fuerit, vel ſupervixerit partis utrique debitæ bonorum poſſeſſionem ſolus habebit; nec id mirum videri debet, cum liberti hæreditas non aliter deferatur patronis, quam hæreditas agnatorum, aut cognatorum *l.* 3. *ff. de ſuis & leg. hæred.* ſed inteſtato liberto mortuo, primum ſuis deferri hæreditatem verum eſt, deinde, ſi hi non fuerint, patrono. Sed quia alius eſt locus *Ulpiani in leg.* 13. *ff. de jurejurand.* qui videtur Juliani ſententiæ adverſari; pro explicatione antinomiæ animadvertendum eſt, ut portio hæreditatis alteri patrono accreſcat, duo neceſſaria eſſe: nam in primis oportet duos revera manumiſiſſe ſervum, vel ex aliâ cauſâ patronos eſſe: ſicut duobus eandem hæreditatem delatam eſſe, aut eandem rem legatam eſſe neceſſe eſt, ut portio unius accreſcat alteri; itaque ſi quis doceat ſe ſolum manumiſiſſe libertum, de quo quæritur totum habet jure proprio, non jure accreſcendi.

§. 3. Ut jus accreſcendi hic locum habeat, oportet vere de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

feciſſe jus patronatus in perſonâ unius, quod accidit, ſi is vivo liberto deceſſerit, ſi libertum non aluerit, ſi ad jusjurandum adegerit, ne uxorem dicat *l.* 24. *l.* 33. *ff. de bon. libert. l.* 5. *l.* 15. *ff. de jur. pat.*

§. 4. Videamus porro quid juris habeant domini, qui ſervos habent communes. Veluti ſi pluribus dominis, ſervus quidam legatus ſit, cujus ſpecies exſtat in *l.* 1. *§.* 1. *&* 2. *ff. de uſufr. accreſ.* in quâ *Vlpianus* ex *Juliano* hæc verba refert: *Si communi ſervo uſusfructus ſit relictus, & utrique domino ſit acquiſitus, an altero repudiante, vel omittente uſumfructum, alter totum habeat? & putat ad alterum pertinere.* Sed huic obſtat *l.* 20. *ff. de leg.* 2. Reſp. alii eſſe antinomiam & *Julianum* diſſentire à *Celſo*; alii dominum non acquirere in *d. l.* 1. jure accreſcendi, ſed jure dominii. Sed rectius alii, eſſe differentiam inter uſumfructum, & proprietatem legatam; quod ipſe *Jureconſultus* §. 3. expreſſe indicat, cum ait *in uſufructu hoc plus* eſt. Ratio eſt forte, quia proprietas ſemel acquiſita, non poteſt amplius acquiri; ſecus eſt in uſufructu, qui domini patientiâ prorogari poteſt.

CAPUT IX.

De modo acquirendi deficientem portionem.

§. 1. Sic tandem de iis perſonis dictum, quibus non petentium partes accreſcunt petentibus, qui ſi adierunt, etiam iis accreſcit invitis, & ita diſſerit *Gajus in l.* 53. *§.* 1. *ff. de acq. hæred.* qui ſemel ex aliquâ parte hæres exſtitit, deficientium partes, etiam invitus excipit, (id eſt) tacite ei deficientium partes accreſcunt: quæ ſententia *ab Ulpiano* etiam confirmatur *in l.* 35. *ff. eod & Juſtiniano in leg. un. §.* 10. *Cod. de cad. toll. l.* 6. *Cod. impub. & aliis ſubſt.* hâc ratione abſurdum eſſe, ejuſdem hæreditatis partem agnoſcere, partem repudiare *l* 2. *l.* 80. *ff. de acq. hæred.* excipimus tamen caſum *legis* 61. *ff. eod.* ſcilicet ſi minor annis, poſtea

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

quam ex parte hæres exſtitit, in integrum reſtitutus eſt, eo caſu, conſtitutione ſeveri receptum eſt, ut ejus partis onus cohæres ſuſcipere non cogatur, ſed bonorum poſſeſſio creditoribus detur; neque quiſquam videtur ejuſmodi caſibus partim teſtatus, partim inteſtatus decedere, cum hæres reſtitutus, etiam poſt reſtitutionem hæres maneat *l.* 7. §. 9. *ff. de minor.*

§. 2. Sed hæc ita quidem omnia in hæredibus obtinent, legatariorum alia ratio eſt, quibus volentibus demum, non etiam invitis portio deficientis accreſcit *l. un.* §. 11. *Cod. de cad. toll.* Scilicet ſi conjuncti ſunt, non autem ſi disjuncti, nam hi ab initio ſolidum habent, & altero non concurrente, unus legatum ſcindere non poteſt; ideoque accreſcere ei non dicitur, maxime cum partem alterius potius videatur accipere, quam totum ſuo jure retinere: quare exemplo unius legatarii partem ejuſdem rei legatæ agnoſcere partem repudiare non poteſt *l.* 4. *ff. de leg.* 2. hæc ſufficiant dixiſſe de perſonis in quibus J. A. obtinere poſſit, licet plures caſus & perſonæ excogitari poſſint, quæ huic juri locum facerent.

CAPUT X.

Qua actione portio accreſcens petatur.

Petitur portio accreſcens, eâdem actione, quâ prius quæſita petita eſt, aut peti potuit: non enim res principalis, & pars ei accedens, diverſo jure cenſeri debent *l. quæ de tota ff. de rei vind. l.* 26. §. *cum inter ff. de pactis dotalibus*; quod itaque hæredi acquiritur, jure accreſcendi, id partem hæreditariam augere, & pro hæreditaria parte haberi dicitur *l.* 5. *ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* & *Papinianus* ait, ſi mihi & tibi eadem res legata fuerit, eam ex meo legato, ad me totam pertinere *l.* 12. *ff. de leg.* 1. hinc *Paulus* titulo, *ut legatorum nomine caveatur*; ſi ab uno ex hæredibus legatorum ſatis accipimus, cum ab omnibus hæredibus nobis legatum eſſet; ſi pars cohæredis accreſcat promiſſori, in totum fi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

deju∫∫ores tenentur, ſi ſolidum legatum his cæpit deberi. His igitur argumentis facile demonſtratur, verum eſſe, quod jam diximus, eâdem actione experiendum eſſe, ſcilicet petitione hæreditatis, vel actione ex teſtamento *l. 12. in princ. ff. de leg. 1.*

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
445 H 201